

id jure hæreditario petere non posset, nec censeretur. Ita Abbas in c. *Ad extirpandas*, n. 8, h. t. citans Innocentium, Joan. Andream, et communem; ac sequuntur Zoesius, h. t. n. 10; Engel, n. 3, et alii.

41. *Filiorum appellatione, an contineantur nepotes? Liberorum, et posterorum appellatione comprehenduntur nepotes, etiam in materia odiosa.* — Dices. Filiorum appellatione etiam nepotes continentur; ut l. *Liberorum*, ff. de *Verb. signif.* ibi: « Filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, continentur: neque enim dulciore nomine possumus nepotes quam filii, appellare. » Resp. Istud locum habere in favorabilibus; secus in odiosis, arg. §. fin. instit. *Qui testamento tutores dari*, etc. ac notat Abbas, loc. cit. n. 8, post Joan. Andream. Verumtamen nomine *liberorum*, et *posterorum*, etiam nepotes comprehendendi, quamvis materia sit odiosa, notatur in cit. §. fin. Inst. Unde inter hæc vocabula, nempe *filiorum*, *liberorum*, est notabile discrimen.

TITULUS XVIII.

De Servis non ordinandis, et eorum manumissione.

1. *Liberi homines et libertini, qui?* — Quæritur I. Servi qui dicantur, et quot sint eorum genera? Ubi prænotandum, quod generalim loquendo homines, alii sint liberi, alii servi. *Liberi* homines vocantur, quibus est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi, aut jure prohibeatur, §. *Et libertas*, instit. de *Jure personar.* Atque ex his alii sunt ingenui, alii libertini. *Ingenui* censentur illi, qui sunt in plena libertate, atque in hac nati fuerunt; ut §. 1. instit. de *Ingenuis*. E contra *Libertini*, seu (quod ferme idem est) *Liberti* appellantur, qui antehac fuerunt servi, et postea sunt manumissi, §. 1, instit. de *Libertinis*. His prænotatis

2. *Servi in jure qui dicantur?* — Resp. I. *Servi* in jure dicantur illi qui domino alieno contra naturam juris constitutione subjiciuntur. Ita desumitur ex §. *Servitus*, instit. de *Jure personar.* ubi hac ratione servitus ipsa definitur. Concordat can. *Jus gentium*, dist. 4. ubi servitutes jure gentium introductæ leguntur. Quæ postmodum jure quoque cano-

nico approbatæ fuerunt, ut can. *Id constitutum*, 17, q. 4, cum similibus; atque olim satis frequentes extiterunt, et ab ipsis quoque Ecclesiis acceptatæ, ut can. *Ecclesiarum*, et can. *Episcopus qui*, et can. *Ecclesiasticis*, 12, q. 2, et alibi.

3. *Triplex est servorum genus.* — Resp. II. Triplex a theologis, et canonistis, communiter assignatur genus servorum, nempe ut alii sint servi proprie dicti, alii adscriptitii, et alii originarii. Patet hoc ex diversis textibus juris, in progressu citandis. Ex his

4. *Servi proprie dicti, seu mancipia, qui?* — Servi proprie dicti (qui et *Mancipia* dicuntur) ita sunt juris domini sui, ut eos venundare possit. cit. §. *Servi*, instit. de *Jure personar.* et can. *Fugitivum*, 12, q. 2; et quidquid acquirunt domino suo acquirant: nam cum ipsi in potestate alterius sint, nihil suum habere possunt, sed totum domino suo acquirunt, l. *Acquiritur nobis*, ff. de *Acquirend. rerum domin.* Unde servitus proprie dicta mortalitati fere comparatur, l. *Servitutum*, ff. de *Reg. jur.* Neque valet matrimonium, si contrahat talis servus cum persona libera et ignorante conditionem ejus servilem, can. *Si quis ingenuus*, 29, q. 2, et c. *Ad nostram*, de *Conjug. servor.* Atque in conditione talium servorum nulla est differentia, sive fiant tales captivitate, vel nativitate, sive venditione. §. fin. instit. de *Jure personar.*

5. *Servi adscriptitii, et servi originarii, qui?* — Servi adscriptitii dicuntur illi, qui glebæ, seu prædio cuiquam colendo, sunt perpetuo addicti: unde sine consensu dominorum suorum inde discedere nequeunt. Tandem servi *originarii* appellantur, qui ex adscriptitiis nati sunt: et de his fit mentio in can. *Generalis*, et can. *Admittuntur*, et can. *Quis aut leges*, dist. 54, et alibi.

6. *Famuli pro annua mercede servientes, in sensu juris non sunt servi.* — Cæterum famuli illi, qui dominis suis pro annua mercede serviunt, in sensu juris idcirco servi non censentur, imo vere liberi sunt: unde etiam operas suas libere, cui voluerint, locare possunt.

7. *Generatim tribus potissimum modis efficitur quis servus.* — Quæritur II. Quibus modis quis fiat servus? Resp. I. Generatim loquendo tribus potissimum modis efficitur quis servus, videlicet nativitate, captivitate, ac venditione. Patet hoc ex §. *Servi autem*, instit. de *Jure personar.* ubi tres hi modi servitutem inducentes, præ cæteris enumerantur.

8. *I. Nativitate: et quid ad hoc requiratur?*

— Sic quippe imprimis *nativitate* fiunt servi qui ex matre serva nascuntur. Nam partus sequitur ventrem; ut cap. un. *De natis ex libero ventre* et l. *Partum*, C. de *Rei vindicat.* cum similibus. Quod intellige quantum ad statum libertatis, vel servitutis; non quoad originem, familiam, et honores. Cæterum, ut quis nascatur servus, requiritur, quod mater toto tempore gestati uteri fuerit serva: unde sive mater libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, sive ipsa, tempore partus facta sit libera, sive etiam medio tempore fuerit aliquando libera, infans nascitur liber, quia non debet calamitas matris, quæ semel libera iterum in servitutem redigitur, ei nocere, qui in utero est, textu clar. l. *Et servorum*, ff. de *Statu homin.* et §. *Sed et si quis instit. de Ingenuis*. Et hinc inter causas favorabiles sicque ample accipiendas, etiam connumeratur libertas, cap. ult. de *Sent. et re judicat.*

9. *II. Captivitate: et cur capti in bello dicebantur servi, seu mancipia?* — Deinde *captivitate* olim apud Romanos fiebant servi, qui in bello capti servabantur, nec occidebantur: unde etiam *Servi* sunt appellati, quasi *Servati*, item et *Mancipia*, eo quod ab hostibus manu capiebantur, unde notatur §. *Servi*, instit. de *Jure personar.*

10. *De facto capti in bello inter christianos gesto non amplius efficiuntur servi, et cur?* — Verum de facto generali et antiquissima consuetudine receptum est, ut capti in bello inter christianos gesto libertatem non amittant, nec servi fiant, sed præstito redemptionis lytro liberi abeant. Cui laudabili consuetudini favet textus in can. *Cum Redemptor*, 12, q. 2, ubi dicitur, quod ad exemplum Redemptoris nostri, qui assumpta carne humana, et disrupto, quo tenebamur captivi, vinculo servitutis, pristinae nos restituit libertati, salubriter agitur, si homines, quos ab initio natura liberos protulit, et jus gentium jago substituit servitutis, manumittentis beneficio nativæ reddantur libertati. Qua proinde causa de facto inter christianos rarius reperiuntur servi proprie dicti.

11. *Bene tamen capti in bello contra infideles, v. g. Turcas gesto.* — Excipiuntur tamen hinc capti in bello justo contra infideles, ut puta Turcas gesto. Tunc enim, quemadmodum Turcæ nostros, sic et nostri jure talionis Turcas captos pro servis habent, ut dediscant insolentiam contra christianos ab ipsis exerceri solitam.

12. *Christiani in servitutem Turcicam abducti, a nobis reputantur liberi. Unde valet testamentum ab ipsis conditum.* — Nihilominus Christiani in servitutem Turcicam abducti, a nobis ex recepta laudabili consuetudine pro servis non habentur quoad effectum juris, sed ob dignitatem Christiani nominis adhuc reputantur liberi, omniumque jurum capaces: et hoc, tum ne afflictis addatur afflictio, Covarruvias, in cap. *Peccatum*, de *Reg. jur.* in 6, part. II, §. 11, num. 6; tum etiam, ne nos tyrannidi infidelium quoquo modo subscribere videamur. Engel h. t. n. 3. Unde non solum valebit testamentum ab ipsis ante captivitatem conditum; sed etiam, si fecerint testamentum durante sua captivitate Turcica, illud easdem vires habebit, ac si conditum fuisset ab aliquo in plena libertate constituto: quidquid olim de jure Romanorum receptum fuerit.

13. *III. Venditione quis fit servus?* — *Venditione* tandem fit aliquis servus, cum homo liber, major viginti annis, ad pretium participandum se venundari passus est, §. *Servi autem*, instit. de *Jure personar.* Ubi Glossa *Y. Venundari*, hoc extendit ad quemlibet alium titulum, quo quis patitur se transferri in alium: ut l. *Si usumfructum*, ff. de *Liberali causa*.

14. *Quibus aliis modis quis efficitur servus?* — Dicitur notanter num. 7: « Tribus potissimum modis efficitur quis servus. » Licet enim hi tres præcipui modi, quibus id communiter accidit, nihilominus etiam aliis quibusdam modis potest quis in servitutem redigi; utpote per revocationem ingrati liberti in servitutem, l. 2, C. de *Libertis*. Item auctoritate principis ob insigne delictum, l. de *Latronum*, C. *Quibus ad libertatem*, etc. ac hujusmodi: quæ tamen de facto inter christianos ferme exoleverunt.

15. *Servi proprie dicti, ac etiam servi adscriptitii, et originarii, prohibentur ordinari absque consensu dominorum.* Quæritur III. An et cur servi ordinari prohibeantur? Resp. I. Certum est, quod non solum servi proprie dicti, seu mancipia; sed etiam servi adscriptitii, atque originarii, ignorantibus, aut invitis dominis suis, ordinare vetentur. Patet hoc imprimis ex rubrica præsentis tituli, quæ generaliter inscribitur, « De servis non ordinandis: » atque ideo, quia continet sensum perfectum, valet argumentum ab ipso depromptum, ut dictum in Proœmio, §. 6 n. 96, et seqq. Id ipsum constat, ex cap. 1, et c.

Consuluit, h. t. cum plurimis concordantiis, quæ referuntur can. 1. et seqq. dist. 54. Et ne quis hujusmodi jura de servis proprie dictis, seu mancipiis dumtaxat, explicare valeat id ipsum etiam de servis adscriptiliis, atque originariis, statutum habetur in cit. can. *Generalis*, et can. *Quis aut leges*, et can. *Admittuntur*, dist. 54, expresse prohibendo, ne tales absque consensu dominorum suorum ad ordines promoveantur.

16. *Et multiplex hujus ratio*. — Resp. II. Rationes, cur servi ab ordinibus arceantur, potissimum sunt sequentes. I. Quia status servilis est valde vilis et vicissim magna excellentia, atque dignitas ordinum ecclesiasticorum, et sacerdotii: unde cit. can. *Admittuntur*, reprehenduntur illi, qui servos invitis dominis provehant « ad fastigium sacerdotii, tanquam servilis vilitas hunc honorem jure capiat. » II. Ratione justitiæ respectu dominorum observandæ, ne videlicet per servi ordinationem domino fiat injuria, dum re sua invitatus privatur: quæ quidem videtur esse potissima ratio dictæ prohibitionis, eo quod domino consentiente bene possit servus ordinari: sicque sola ejus conditio servilis non obstat. III. Causa religionis: nam hujus ministerio non posset vacare servus, si a domino suo in servitutem retraheretur, can. *Ex antiquis*, et can. *Frequens*, dist. 54, simulque, quia indecorum est, ut ex clericis fiant servi, can. *Quicumque*, ead. dist. 54.

17. *Ordinarie requiritur expressa domini licentia, ut servus ordinetur*. — Quæritur IV. Qualis consensus domini requiratur, ut servus ejus ordinari valeat? Resp. I. Ordinarie loquendo, ut servus licite ordinetur, requiritur expressa licentia domini sui, in scriptis, obtenta. Textus est in cit. can. *Generalis*, dist. 54, ubi prohibetur sub pœna privationis proprii honoris, et communionis, ne quis ejusmodi personas clericatui applicet, « nisi voluntate forsitan dominorum sub scripturæ testimonio primitus absolutas. » Et merito: ut sic Ecclesiæ, atque episcopo ordinanti de consensu dominorum melius constare valeat, utrumque pateat, utrum ipsi servos suos omnino liberos dimittant, nullo retento obsequio (spirituales tamen operas, juxta c. *Nulius*, 4, c. *Eo libentius*, 6, h. t. non prohibentur retinere) ne alioquin, quando voluerint eorum domini, ex clericis fieri cogantur servi, contra can. *Quicumque*, dist. 54. Idem confirmat recepta praxis, juxta quam homines illi, qui quadam servitute sunt astricti, prius-

quam ordinentur, consensum dominorum suorum, vel manumissionem, in scriptis episcopo exhibere debent. Engel, h. t. n. 6.

18. *Quamvis etiam tacitus ejus consensus sufficere possit*. — Resp. II. Licet ordinarie consideretur expressus dominorum consensus ad ordinationem servorum, ut dictum; potest nihilominus etiam tacitus eorumdem consensus sufficere: veluti, si dominus sciat sacris ordinibus servum suum initiari, et non contradicat; ut can. *Si servus sciente*, dist. 54.

19. *Et tunc eo ipso servus acquirit libertatem*. — Et tunc eo ipso servus acquirit libertatem, prout ibidem habetur. Atque istud procedit indistincte; ad quemcumque ordinem quis sciente, et non contradicente domino, promotus fuerit, sive ad sacrum, sive ad minores, vel ad primam tonsuram tantum. Abbas, cap. II, n. 1, h. t.; Pirhing, eod. n. 3, ac alii. Neque enim dominus potest videri non consentire in libertatem, postquam consensit in ordinationem; cum sine ea non possit quis rite ordinari, neque fungi officio clericali: qui autem vult consequens, vult etiam suum necessarium antecedens, prout late probat Barbosa, axiomat. 54, n. 1. Simile quid habetur in § *Idemque juris*, instit. *Quibus ex causis manumittere*, etc. ubi si dominus servum instituat hæredem, hoc ipso et libertatem concedere censetur, quamvis hoc non exprimat.

20. *Servus ad ordines minores promotus invito domino, debet huic, ipsum repetenti, restitui*. — Quæritur V. Quid juris, si servus de facto fuerit ordinatus ignorante, atque invito domino suo? Resp. I. Quando servus invito domino fuit promotus solempniter ad ordines minores, tunc is domino repetenti restituitur ac revocatur in pristinam servitutem; ut can. *Ex antiquis*, et can. *Frequens*, dist. 54, et c. *de Servorum*, 2, h. t. Nam, quia cæteroquin in minoribus constitutus, nullo jure prohibetur sæcularibus negotiis sese immiscere, imo et matrimonium inire; merito tales clerici jubentur revocari in pristinam servitutem, suisque dominis, qui eos repetunt, restitui, ne horum jura quoquo modo turbentur, ac injuste violentur.

21. *Quid juris, si servus invito domino initiatus fuerit sacris ordinibus episcopo, vel presentatore ejus conditionem servilem sciente?* — Resp. II. Si autem servus ignorante et invito domino, initiatus fuerit sacris ordinibus, tunc opus est multiplici distinctione. Inprimis enim si talis servus ab episcopo, sciente ejus

conditionem servilem fuit promotus ad sacerdotium, vel diaconatum (idemque nunc dicendum de subdiaconatu, can. *Miramur*, 7, h. t.) tunc ipse ordinatus permanet quidem in officio clericali, atque efficitur liber, sed episcopus scienter ordinans tenetur pro eo satisfacere ac domino suo dare alios duos æquales servos, vel eorumdem æstimationem. Textus est in can. *Si servus absente*, dist. 54, ac notat Abbas, cap. II, casu, 3, h. t.

22. *Quid juris, si servus invito domino initiatus fuerit sacris ordinibus, episcopo, vel presentatore ejus conditionem servilem sciente?* — Et hoc ipsum a pari est dicendum, si episcopus talem esse servum nescierit, sed præsentator, aut supplicans pro tali servo ordinando, istud sciverit: quia tunc ejusmodi præsentator, sive supplicans, simili redhibitione tenetur obnoxius, ac servum ita ordinatum domino suo duplici satisfactione debet compensare; prout cit. can. *Si servus absente*, dist. 54, illico subjungitur. Intellige cum Glossa ibid. § *Officio*, et Abbate, loc. cit. dummodo talis præsentator habeat unde solvat dupliciter: alioquin enim servus ordinatus restituitur domino, juxta mox dicenda.

23. *Aut episcopo hanc ignorante, dum servus propria calliditate sacris ordinibus se fecit initiari?* — Quod si autem servus propria calliditate, ac fraude, se fecerit sacris ordinibus initiari, nec episcopo, nec presentatore conditionem ejus servilem sciente, tunc is ex peculio suo (si quod habet ex conniventia domini, vel quia est tantum servus originarius), oblato pretio semetipsum redimere aut servum vicarium pro se substituere tenetur. Quod si hoc facere non possit, tunc ipse prius a suscepto sacro ordine diaconatus, et subdiaconatus deponitur, ac postea domino petenti restituitur, can. *Ex antiquis*, et can. *Quis autem*, dist. 54, et c. *De servorum*, 2, h. t. juncta Glossa fin. ibid.

24. *Vel etiam ad sacerdotium promotus fuit?* — Si vero servus taliter jam sit promotus ad sacerdotium, is quidem statim fit liber, ac in suo ordine remanet, nec deponitur: nihilominus peculii sui amissione mulctatur: ita ut res, quas post sacerdotium acquisivit, vel forsitan aliunde jam, puta ex conniventia domini habuit, eidem auferantur, cit. can. *Ex antiquis*, ac notat ibi Glossa § *Peculii*. Quod si non habeat peculium, serviet domino suo in divinis officiis, ac celebratione mysterio-

rum, can. *Frequens*, dist. 54, et tradit Glossa fin. cit. c. *De servorum*, h. t. (ADNOTATIO LVII.)

TITULUS XIX

De obligatis ad Ratiocinia ordinandis, vel non.

1. *Ratiocinia, quid sint?* — Quæritur I. Quid sint Ratiocinia, quique dicantur ad ea obligati? Resp. I. *Ratiocinia* sunt rationum redditiones, ad quas aliquis obligatur ex administratione rei publicæ, aut privatæ, quam gessit. Hostiensis, in *Summa*, h. t. n. 1. Itaque

2. *Obligati ad ratiocinia, qui?* — Resp. II. Obligati ad ratiocinia dicuntur illi, qui generalem aliquam rerum sæcularium administrationem habent, vel habuerunt, et inde principalibus suis ad reddendas rationes sunt obstricti: ut sunt procuratores, actores, tutores syndici, officiales, seu curiales publici, ac hujusmodi.

3. *Tales prohibentur ordinari ante redditas rationes*. — Quæritur II. Qui omnes hoc titulo ordinari prohibeantur? Resp. I. Hi imprimis sunt proxime enumerati, videlicet procuratores, qui mandato domini aliena negotia in judiciis administrant; actores, seu syndici, officiales, alique curiales publici, qui ad negotia publica actores deputantur ab Universitatibus: item tutores pupillorum, et curatores. Atque isti in cap. un. h. t. (quod est desumptum ex concilio Carthaginensi I. cap. VIII.) expresse prohibentur ordinari nisi deposito suo sæculari officio, ac redditis ante rationibus, digni reperiantur.

4. *Et cur?* — Et merito istud fuit statutum, quia alioquin, si tales sæcularibus adhuc negotiis seu officiis implicati ordinarentur ante depositam officium, et rationes suis principalibus nondum redditas, hoc ipso « Ecclesia infamaretur » (ut loquitur textus) et plura cogeretur sustinere incommoda, atque molestias, dum tales postea repeti contingeret, can. *Præterea*, dist. 51. Quinimo ipsamet Ecclesia fieret exosa; eo quod homines aliis etiamnum obligatos, in suum gremium cum præjudicio principalium reciperet. Accedit quod tales magis intentione fugiendi ratiocinia sua, forumque civile de-

ordinandi, per quod ad reddendas rationes compellerentur, quam amore religionis ad clericatum transire videantur, arg. can. *Legem*, dist. 53, ac notat Hostiensis in *Summa*, l. 1. in fine.

5. *Generaliter omnes implicati secularibus officiis, et negotiationibus, quæ in clericis non tolerantur, ordinari nequeunt.* — Resp. II. Præmissa constitutio, sive cit. cap. un. h. t. ampliatur ad omnia ea officia, et negotiationes sæculares quæ in clericis non tolerantur: ut est obligatio militiæ, can. *Legem, quam*, dist. 53. Item conductiones vectigalium, aliisque negotiationes sæculares clericis prohibite, in cap. 1. et II. *Ne clerici vel monachi*, etc. et can. *Credo*, 21, q. 3. Unde, sicut talia mere sæcularia officia clericis sunt interdicta, juxta illud divi Apostoli 2 *Timoth. II, 4. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*, et canones proxime citatos cum similibus; ita multo magis interdictum, atque prohibitum esse dignoscitur, hujusmodi sæcularibus officiis, atque negotiationibus, etiamnum implicatos ad clericatum promovere; nisi exemplo sancti Matthæi Apostoli prius ab hisce obligationibus et functionibus sæcularibus, sese liberos reddiderint.

6. *Exempla regulam non restringunt, sed declarant.* — Nec obstat, quod in d. cap. un. h. t. solummodo fiat mentio de procuratoribus, actoribus, executoribus, et curatoribus, seu tutoribus pupillorum; de quibus postea subjungitur, quod parte libertatem negotiorum, seu officiorum suorum ordinari non debeant, ne Ecclesia infametur; quamvis post deposita onera et redditas rationes, si cæterogam digni fuerint, ordinari valeant. Non obstat, inquam, quia præfata officia potius exempli causa hic exprimuntur. Atqui exempla regulam non restringunt, arg. L. 1. § *Quod vulgo*, ff. *De vi et vi armat.* Quinimo ea declarant dispositionem de similibus esse intelligendam, arg. can. *Jus naturale*, dist. 4 et c. *Inter cæteras, de Rescriptis*, et cap. 1. *Ne clerici vel monachi*, etc. et notat Fagnanus c. *Non minus*, n. 30. *de Immunit. Eccles.* ac proinde, quæ in præsentī cap. un. h. t. dicuntur de procuratoribus, actoribus et tutoribus recte a simili, atque ob paritatem rationis, extenduntur ad cætera officia sæcularia clericis interdicta.

7. *Gerentes talia munera, quæ clericis suscipere licet, ordinari non prohibentur.* — Notanter additur, «officia sæcularia clericis interdicta,» quia illa munera, quæ clericis

pietatis intuitu, aut alia rationabili de causa suscipere concessum est, pariter a clericatu suscipiendo neminem repellere debent. Hinc quia in can. *Pervenit*, dist. 86, clericis conceditur, quod juxta leges possint agnatorum suorum tutelas, et curationes in se suscipere sicque ipsorum tutores et curatores esse, licet ad hoc cogi non possint, ut notat Glossa ibid. §. *Tutelas*; et quia juxta eundem canonem, qui reperitur in can. 1, caus. 21, q. 3, iidem clerici propter timorem Dei possunt esse administratores rerum Ecclesiæ, sicut et pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum, quæ maxime ecclesiastico indigent adminiculo: consequenter etiam talia munia gerentes, atque in officio suo perseverantes, poterunt ad ordines promoveri, si cæterogam digni reperiantur. Glossa magna in cap. un. h. t. ubi plura circa præsentem materiam breviter resolvit.

8. *Si quis ad ratiocinia obligatus creditore ordinetur, bona ejus cedunt creditori in solutum.* — Queritur III. Quid agendum, si quis adhuc ad ratiocinia obligatus, contra prohibitionem creditoris de facto fuerit ordinatus? Resp. I. Bona taliter ordinati redduntur, seu cedunt creditori in solutum usque ad redditas rationes, condignamque satisfactionem. Ita Glossa, cit. cap. un. §. *Infamatur*, et Abbas, ibid. n. 7. h. t.

9. *Et si ejusmodi bona non sufficiant, alio modo satisfaciatur.* — Resp. II. Quod si ejusmodi bona non sufficiant, tunc is ab episcopo adigendus est, ut alio modo, prout et quamprimum fieri potest, convenienter satisfaciatur: sin minus ipsemet episcopus, si fuit in culpa talem scienter ordinando contra voluntatem creditorum, tenebitur pro ordinato. Ita Glossa, et Abbas, ubi supra et alii. Et quidem priorem partem suadet ipsamet naturalis æquitas, et obligatio virtutis justitiæ, volentis, ut cuique suum reddatur, quantum possibile fuerit.

10. *Aut episcopus scienter ipsum ordinans, tenebitur pro ordinato.* — Altera vero pars ex eo probatur, quia episcopus talem scienter ordinans, isto suo facto ademit creditoribus potestatem absolute exigendi debitum ob privilegia clericalia; simulque ordinatæ abstulit facultatem negotiandi, atque de novo lucrandi, unde creditoribus postmodum satisfacere posset, cum post susceptos sacros ordines negotia sæcularia amplius tractare non valeat, can. *Fornicari*, dist. 88 cum similibus. Ergo non mirum, quod episcopus

scienter talem ordinans, pro ipso teneatur.

11. *Quid juris si talis episcopo ignorante, in fraudem creditorum sacros ordines receperit? Et an iste sit suspensus, vel irregularis.* — Resp. III. Quod si ratiociniis obligatus malitiose, ac in fraudem creditorum, et episcopo ignorante sacros ordines receperit, tunc is ab episcopo arbitrarie puniri poterit, ac debet, ne crimina maneat impunita. Nihilominus sic ordinatus propterea non deponitur a suscepto ordine, ut recte notat citata Glossa, §. *Infamatur*. Nec etiam talis ab ordinam exercitio est suspensus, neque aliqua irregularitate irretitus; cum nullo jure quid tale reperitur cautum. Excipe, nisi forsitan talis fuisset sacris ordinibus initiatus absque titulo sufficientis sustentationis, quem falso finisset: tunc enim foret ipso jure suspensus, juxta dicta superius, tit. *de Ætate et qualitatibus ordinandorum*, § 7, n. 182, et seqq.

TITULUS XX.

De Corpore vitiatis ordinandis, vel non.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Post impedimentum defectus natalium, item conditionis, et obligationis ad ratiocinia, proceditur ad vitium corporis, quod pariter prohibet quosdam ordinari.

2. *Præsens titulus differt ab eo qui est de Clerico ægotante vel debilitato.* — Est sciendum, quod præsens titulus differat ab illo, qui habetur libro III *Decretalium, de clerico ægotante, vel debilitato*: nam ibi queritur, an clericus ægotans, vel debilitatus, debeat amittere beneficium ecclesiasticum, quod jam adeptus fuerat; hic autem, aut alius possit ordinari, aut in jam susceptis ordinibus ministrare. Hostiensis in *Summa* h. t. a princip. Quibus prænotatis,

3. *Corpore vitiati, qui?* — Queritur I. Corpore vitiati qui sint, et an ordinari valeant? Resp. II. Illi censentur esse «corpore vitiati,» qui vel sunt corpore debilitati, vel mutilati, vel deformes. Generatim enim loquendo vitium corporis est triplex, videlicet debilitas, mutilatio, ac deformitas ipsius, prout notat idem Hostiensis, loc. cit., n. 1. et seqq. ac sequuntur alii passim.

4. *Debilitas corporis.* — Debilitas corporis consistit in defectu virium, seu inefficacia

membrorum ad præstandas suas naturales operationes. Unde illi dicuntur *debilitati*, qui omnia quidem membra habent, sed tamen unum, aut alterum eorum est inefficax, seu insufficientis ad exequendum ministerium suum: ut puta, si quis habeat manum aridam, oculum cæcum aut hujusmodi.

5. *Mutilatio in quo consistat?* — Mutilatio consistit in carentia membri, sive dein hæc proveniat a natura, sive ab extrinseco: unde *Mutilatus* dicitur ille, qui caret membro aliquo. Per membrum autem proprie intelligitur pars aliqua principalis, quæ peculiarem in corpore functionem, seu operationem habet: ut oculus visionem, auris auditum, manus apprehensionem, pes gressum, ac hujusmodi, arg. can. *Singula*, dist. 89, ac notat Abbas in cap. 1. n. 10. *Qui clerici vel novente*, etc.; Covarruvias, part. III, Clem. *Si furiosus*, n. 8; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 42, n. 11 et alii.

6. *Deformitas, in quo consistat? Per membrum, quid proprie intelligatur?* — Deformitas tandem importat maculam quamdam, seu defectum notabilem in membris exterioribus. Atque idcirco illi censentur deformes, qui habent ejusmodi maculam, seu vitium notabile in membris suis, ratione ejus sine indecentia, scandalo, horrore, aut risu aliorum conspici nequeant: ut sunt habentes monstruosum gibbum, vel oculum erutum, aut nasum abscissum, item graviter claudicantes, leprosi, ac hujusmodi.

7. *Corpore vitiati non sunt ordinandi, nec ad clericalem tonsuram promovendi.* — Resp. II. De corpore vitiatis extat regula in can. *Non confidat*, dist. 50, cum concordantiis, quod divini non sint applicandi ministeriis, nec ordinandi: adeo, ut ille, qui patitur vitium corporis dumtaxat celebrationem impediens, puta quia caret pollice, etc., non possit absque dispensatione promoveri ad ordines etiam inferiores, vel minores, imo nec ad primam tonsuram, prout tenuit Rota in *una Romana pensionis*, 3 junii 1583, coram cardinali Seraphino, quam refert, ac sequitur Nicol. Garcias, part. VII *de Beneficiis*, cap. XII, n. 28, et seqq. post Suarez, Toletum, et alios, quidquid nonnulli contradicant. Nam generale est, quod corpore vitiati, utpote irregulares, non possint ordinari, nec divinis applicari ministeriis, cit. can. *Non confidat*, cum similibus: atqui applicatur divinis ministeriis, qui vel ad clericalem tonsuram admittitur et multo magis ad ordines; ergo.